

in culpa minori excommunicati esse, i. e. si fratres ad sextam, illi ad nonam, si fratres ad nonam, illi ad vesperam, et in oratorio satisfaciant. Si autem in labore vadunt generaliter omnes et non possunt venire ad manducandura in monasterium, tunc possunt ibidem manducare eo ordine, quo in monasterio. Nam si generalitas ibi non manducat, non debet ibi manducare vel bibere, sed in monasterio. Si vero generaliter ibi manducant, non debet aut bibere aut manducare, nisi grandis labor factus fuerit; melius est enim, ut omnes aequaliter laborent, quam unus fortiter et alter leniter, et ob hoc, quotiens vult, bibat. Ipse tamen abbas non debet ita permittere, ut ita fiat, quia S. Benedictus dicit: *Si omnes greges meos plus in ambulando fecero laborare, quam oportet, morientur cuncti una die*. Si autem exierint de monasterio longe causa laboris, possunt manducare, etiam si non sit generalitas ibi, eo quod non possunt ad monasterium venire hora manducandi. Nunc autem intuendum est, quomodo intelligi debet istud, quod dicit *si eadem die sperantur reverti* et reliq., cum potest ire viginti miliaria longe in die et iterum reverti, sicuti est in aestivo tempore. Iste talis, si jejunaverit, valde laboravit, et plus iste, qui obedientiam facit, laboravit in jejunando, quam ille, qui in minori culpa excommunicatur. Et ob hoc ita debet intelligi, ut ille, qui praeest, sicut considerans discernit in personis, ita etiam debet considerare in longitudine itineris, h. e. sicut licentiam dat manducandi pro persona digna ante horam, ita etiam debet dare licentiam manducandi, si ad horam manducandi vel paulo post non poterit ad monasterium reverti. Et hoc sciendum est, quia, sicut hi agunt, qui in monasteriis sunt, ita debet etiam agere ille, qui in cella est constitutus.

*Cap. LII.*

DE ORATORIO MONASTERII.

Quia superius dixit, qualiter illi, qui in opere sunt vel in via, suum officium reddant Deo omnipotenti, nacta ex hoc occasione consequens erat, ut nunc etiam diceret de